



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum hypocrisis sit peccatum mortale? 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

virtus simplicitatis est eadem virtuti veritatis: sed differt sola ratione: quia veritas dicitur secundum quod signa concordant signatis; simplicitas autem dicitur secundum quod non tendit in diuersa, ut scilicet aliud intendat interius, & aliud prætendat exterius.

Ad tertium dicendum, quod lucrum vel gloria est finis remotus simulatoris, sicut & mendacis. Unde ex hoc sine speciem non sortitur, sed ex fine proximo, qui est ostendere se alium quam sit. Unde quandoque contingit quod aliquis fingit de se magna, nullius alterius gratia, sed sola libidine simulandi: sicut Philosophus dicit in * 4 Ethicorum, & sicut etiam supra de mendacio dictum est †.

c. 7. 10. 5.
† qu. 100.
ar. 2.

ARTIC. IV.

Utrum hypocrisis semper sit peccatum mortale?

579
4. d. 16 q.
4. art. 1.
9. 3.
* in fin. cō
ment ad
c. 16. Esa.
30. 5.
gloss. ord.
ibid.
† al. pec-
catis.
* lib. 31.
c. 11.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod hypocrisis semper sit peccatum mortale. Dicit enim Hieronymus * Isai. 16. in gloss. quod in comparatione duorum malorum, leuius est aperte peccare, quam sanctitatem simulare. Et super illud Iob. 1. Sicut autem Domino placuit, & c. gloss. dicit, quod simulata æquitas, non est æquitas, sed duplex peccatum. Et super illud Thren. 4. Maior effecta est iniquitas populi mei peccato Sodomorum, dicit glossa *, Scelera animæ planguntur, quæ in hypocrisim labitur, cuius maior est iniquitas peccato † Sodomorum. Peccata autem Sodomorum sunt peccata mortalia. Ergo & hypocrisis semper est peccatum mortale.

¶ 2 Præterea, Gregorius dicit 31. * Moralium, quod hypocrita ex malitia peccat. Sed hoc est grauissimum: quia pertinet ad peccatum in Spiritum sanctum. Ergo hypocrita semper mortaliter peccat.

¶ 2 Præterea, Nullus meretur iram Dei, & exclusionem à Dei visione, nisi propter peccatum mortale. Sed per hypocrisim aliquis meretur iram Dei: secundum illud Iob 36. Simulatores, & callidi prouocant iram Dei. Excluditur etiam hypocrita à visione Dei; secundum illud Iob. 43. Non ueniet

in conspectu eius omnis hypocrita. Ergo hypocrisis semper est peccatum mortale.

SED contra est, quod hypocrisis est mendacium operis, cum sit simulatio quedam. Non autem omne mendacium operis est peccatum mortale. Ergo nec omnis hypocrisis.

¶ Præterea, Intentio hypocritæ est ad hoc quod videatur bonus. Sed hoc non opponitur charitati. Ergo hypocrisis non est secundum se peccatum mortale.

¶ Præterea, Hypocrisis nascitur ex inani gloria, ut Greg. dicit 31. * Moral. Sed inanis gloria non semper est peccatum mortale. Ergo neque hypocrisis. *l. 31. c. 31. a medi*

RESPONDEO dicendum, quod in hypocrisis duo sunt, scilicet defectus sanctitatis, & simulatio ipsius. Si ergo hypocrita dicatur ille, cuius intentio fertur ad utrumque, ut scilicet aliquis non curet sanctitatem habere, sed solum sanctus apparere, sicut consuevit accipi in sacra Scriptura; sic manifestum est quod est peccatum mortale. Nullus enim totaliter priuatur sanctitate nisi per peccatum mortale. Si autem dicatur hypocrita ille, qui intendit simulare sanctitatem, à qua deficit per peccatum mortale: tunc quamuis sit in peccato mortali, ex quo priuatur sanctitate, non tamen semper ipsa simulatio est ei peccatum mortale, sed quandoque veniale. Quod discernendum est ex fine: qui si repugnat charitati Dei vel proximi, erit peccatum mortale: puta, cum simulat sanctitatem, ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur ecclesiasticam dignitatem indignus, vel quæcumque alia temporalia bona, in quibus finem constituit. Si verò finis intentus non repugnet charitati, erit peccatum veniale: puta, cum aliquis in ipsa fitione delectatur. De quo dicitur quarto * Ethicorum, quod magis videtur vanus quam malus. Eadem enim ratio est de mendacio, & simulatione. Contingit tamen quandoque, quod aliquis simulat perfectionem sanctitatis, quæ non est de salutis necessitate: & talis simulatio nec semper est peccatum mortale, nec semper

c. 7. a medi

618 QVÆST. CXII. ART. I.
per est cum peccato mortali. Et per hoc patet respon-
sio ad obiecta.

QVÆST. CXII.

De iactantia, in duos articulos diuisa.

Postea considerandum est de iactantia, & ironia, quæ sunt partes mendacij, secundum Philosophum in quarto Ethicorum. Primò autem circa iactantiam, queruntur duo.

¶ Primò, cui virtuti opponatur.

¶ Secundo, vtrum sit peccatum mortale?

ARTIC. I.

380

Vtrum iactantia opponatur virtuti veritatis?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd iactantia non opponatur virtuti veritatis. Veritati enim opponitur mendacium. Sed quandoque potest esse iactantia etiam sine mendacio: sicut cum aliquis suam excellentiam ostentat. Dicitur enim Hester primo, quòd Assuerus fecit grande conuiuium, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, ac regni sui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentie suæ. Ergo iactantia non opponitur virtuti veritatis.

6.7. circa
prin.

¶ 2 Præterea, Iactantia ponitur à Gregor. * 12. Moral. vna de quatuor speciebus superbiz: cum scilicet quis iactat se habere quod non habet. Vnde dicitur Hier. 48. Audiuius superbiam Moab: superbus est valde, sublimitatem eius & arrogantiam, & superbiam, & altitudinem cordis eius: ego scio, ait Dominus, iactantiam eius, & quòd non sit iuxta eam virtus eius. Et * 31. Moral. Gregor dicit, quòd iactantia oritur ex inani gloria. Superbia autem, & inanis gloria opponuntur virtuti humilitatis. Ergo iactantia non opponitur veritati, sed humilitati.

l. 31. c. 31
à med.

¶ 3 Præterea, Iactantia ex diuitijs causari videtur. Vnde dicitur Sapien. 5. Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Sed superfluitas diuitiarum videtur pertinere ad peccatum auaritiæ, quod opponitur iustitiæ vel liberalitati. Non ergo iactantia opponitur veritati.

§8D